



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 25. Reliquorum Theologorum sententiæ circa hoc argumentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. XXV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.*Reliquorum Theologorum sententiae
circa hoc argumentum.*

Hi, qui decreto favebant, præprimis *Pallav. c. 9.*
 asserebant: „adversariis nostris in- *lib. 22. n. 7.*
 "cumbit nos impugnare: nobis enim § 8.
 "tanquam possessoribus, sufficit respon-
 "dere, hæc autem possessio nititur com-
 "muni judicio tum Theologorum, tum
 "Patrum: porro id satis est ad Decre-
 "tum propugnandum, quamdiu ab ob-
 "jectis argumentis haud vincetur.,, Ad
 hæc Adversarii reponebant:,, jus pos-
 "sessionis favet iis, qui defendunt ve-
 "terem Ecclesiæ consuetudinem, quam
 "ullo pacto immutare nefas est.,, Alii
 ex adverso decretum propugnan-
 tes ajebant, quod potius possessionem
 constituendi obices, qui conjugia irri-
 ta facerent, Ecclesia obtineat, adeoque
 is, qui jurisdictionem ad id eidem de-
 negat, probandi debitum contrahat:
 tandem primus Legatorum petiit, ut
 illi, qui novum decretum promovebant,
 suas rationes proferrent: ast inde nova
 disputandi ansa præbebatur, illis si-
 quidem mens erat de sola potestate a-
 gere, non autem de decentia, cuius
 trutinam dicebant ad Patrum pruden-
 tiam, nec ad Theologorum doctrinam
 pertinere. Hæc ipsa controversia Joanni
 Hh 3 Palati-

Sæcul. XVI. Peletiero Sorbonico Doctori occasio-
A.C. 1563. nem suppeditabat demonstrandi, quod debita Ecclesiæ reverentia lædatur, si quis afferere audet, quod Ecclesia hac potestate careat, potius igitur dicendum, quod ea uti non deberet. Ve-

rum ad hoc est responsum, nihil indecorum in hac loquendi ratione observari, dum agitur de Sacramentis, neque id esse deterius, quam si negaretur, quod Ecclesia potestatem habeat aqua e rosis expressa baptizandi, vel nucis oleo Sacramentum Confirmatio-
nis conferendi.

Postea Didacus Payna verba fa-
ciens ita perorabat: „Est in Ecclesiæ
„facultate matrimonii naturam mutare,
„sublata contractui efficacia, queinad-
„modum patet in impedimentis inter
„contrahentes ab illa stabilitis, idque
„Ecclesiæ efficere licuit ex eo, quod eo-
„rum conditio adversaretur alicui bo-
„norum illorum, propter quæ matri-
„monium institutum est: porro certum
„constat, quod magis repugnet bonis
„matrimonii obscuritas clandestini,
„quam quarti gradus affinitas. Ad
„hæc alias quidam respondit: „mala
„ex clandestino matrimonio suborta
„præter intentionem contingunt, ac
„nonnisi ex hominum nequitia, adeo-
„que par non est ratio inter illa, & in-

, ter

„ter ea, quæ vel duntaxat ex legibus Sæcul. XVI.
 „circa hoc Sacramentum sancitis quæ- A.C. 1563.
 „sita occasione proveniunt, cuiusmodi
 „sunt in conjugio gradus prohibiti in-
 „ter affines. „Reposuit Payna:,, in
 „legibus sanciendis, atque in impe-
 „diendis per eas quibusdam actionibus,
 „unica est norma, quam observare
 „oportet, an nimirum malum sæpius e-
 „veniat, sive demum ex accidente, aut
 „ex natura sive alio quocunque modo
 „contingat, quia hoc malum in utro-
 „que casu æque nocet, & proin reme-
 „dio indiget.

Forerius Dominicanus Lusi-
 taniæ Regis Theologus, ad idem alio
 exemplo usus, hunc in modum disse-
 ruit: „irritum fit ab Ecclesia matrimo-
 nium ob præcedens adulterium illius,
 „qui in Uxor, vel Mariti mortem moli-
 „tus est, licet igitur Ecclesiæ pariter
 „irritum reddere matrimonium ob adul-
 „terium imminens, quodque valde fre-
 „quenter contingere consuevit.,, Hac
 ratione Forerius Osii Legati objectio-
 nem diluere nitebatur, quia non mi-
 nor necessitas monet, ut occurramus
 delicto imminentι, sublata illius pa-
 trandi facilitate, quam poenam præ-
 scribamus contra illud crimen, quod
 jamjam perpetratum est.

Sæcul. XVI.**A.C. 1563.**

Hæc congregatio ad bidui spatum protrahebatur, quo tempore reliqui Patres subinde suas quoque sententias proponebant, inter quos Pater Layensis, qui non modo supremus Jesuitarum Moderator, sed & Theologi Pontificii munus obibat, in dubium vocare videbatur, an matrimonia clandestina irrita declarandi jus, ac potestas Ecclesiæ competat: suam autem sententiam hoc fulciebat argumento, quod Ecclesia ab illa sanctione per continua quindecim sæcula abstinuerit, tametsi eadem, de quibus nunc querela movetur, accidissent incommoda: sed ei respondebatur, quod Ecclesia semper contra hoc malum fructuosa speraverit remedia, quæ tamen cum experimento inefficacia esse cognosceret, ad hoc tandem devenire coacta fuerit: si vero Lainesii ratio vim haberet, haud expediret legem ullam novam in Concilio condere, cum liceret opponere singulis, ab Ecclesia per quindecim sæcula eas conditas non fuisse.

§. XXVI.*Disputatio sine ullo successu finita.***Pallav. n. 9.**

Majorem adhuc concitabat contentionem Adrianus Valentinus, patria Venetus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, qui exemplum produxit
Pseudo.